



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schrötel, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

Regina Angelorvm, Patriarcharvm, Prophetarvm, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

STELLA MATVTVINA. 151

ni-
ua-
10,
pa-
ra, dirige cymbulam animæ meæ , varie
fluctuantem, vt horrida , & periculosa
fata in huius Mundi tenebris cauere, &
te duce, ad securum animarum nostra-
rum portum feliciter peruenire valeam.
Quæ in cœlis coronata triumphas in
omnem æternitatem, Amen.

REGINA ANGELORVM,
PATRIARCHARVM, PROPHE-
TARVM, &c.

ul-
in-
ias,
ni-
um
bra
co-
dij
mi-
iu-
di-
ffi-
su-
ra,
ECclesia Catholica Matrem Dei, in
canticis suis Reginam frequentif-
sime salutat. Ave Regina cœlorum,
Ave Domina Angelorum. Regina
cœli lætare. Salve Regina. Mater mi-
sericordiæ &c. Quam Antiphonam S.
Bernhardus explicans ita scribit: *Maria*
iuste Regina Mundi, & Regina cœli dicitur,
per quam vtriusque Creator, & Rector ge-
neratur. Regina, glorie nomen, & honoris,
magnificentie, & decoris, dulcedinis & pie-
tatis.

*tatis, amoris & honorificentia, sublimitatis,
& potentia, gubernationis & iustitie, defen-
sionis & gratie.*

I.

Est autem Maria, stirpe & origine
sua, Regina, vt canit Ecclesia, *a Regali ex
progenie Maria exorta refulget, ex semine
Abraha, de tribu Iuda, clara ex stirpe David.
Quod & Angelus Gabriel confirmauit,
b Dabit ei Dominus sedem David patris eius.*

2.

Est Regina, quia genuit Regem Re-
gum, & Dominum dominantium.

3.

Regina est Maria, tanquam regij
throni socia. Vno verbo, Æterni Regis
filia, sponsa, parens. Hanc suam filiam
præuidit olim David, quando Deo ce-
cinit: *Adstitit Regina à dextris tuis in vestitu
deaurato circumdata varietate. c Elegit eam,
& praelegit eam, in tabernaculo suo habitare*
facit

a In festo Natiuit. eiusdem.

b Matt. I. Luc. I.

c Psal. 44.

facit eam. Hanc vidit Ioannes, charus
dulcissimi filij discipulus, coronatam
stellis duodecim. *a*

Præfigurata est hæc, per Reginam Saba,
qua ingressa est Hierusalem, cum comitatu
multo, & diuitijs, & camelis, &c. *b* Cui Rex
Salomon dedit multo plura, quam attulerat
ad eum. *c* Item per Betsabea, matrem Salo-
monis, cui Rex assurrexit. & in throno sedere
fecit à dextris. &c. *d*

Inuitata etiam fuit tanquam sponsa
ad coronationem, e veni de Libano sponsa
mea, veni de Libano, veni coronaberis. Et
quid ni coronetur tot victorijs glorio-
sa? Triumphauit enim de carne, non
quidem reluctando, quia per priuilegi-
um fomes peccati exstinctus erat, sed
subiectam habuit, plus, quam confirma-
ti in gratia. In alijs etiam peccatoribus
innumeris carnem domuit. De Mundo
etiam

a Apoc. 12. *b* 3. Reg. 10.

c Para. 9.

d 3. Reg. 2.

e Cant. 4.

etiam triumphauit, quia paupertatem elegit, & Mundi vanitatem risit. *a Digni eius apprehenderunt fusum. Quasiuit lanam, & linum, & operata est consilio manuum suarum.* Diabolum (inter quem, & Reginam hanc Deus inimicitias posuit) vel sola humilitate, qua præcelluit, strauit, & cunctas hareses sola interemit in vniuersa terra. Mortem denique confudit, quia in cineres redacta non est, sed incorrupto, & glorificato corpore cælos ingressa est. De vniuersis porro peccatis triumphauit, etiam leuibus, sicut de ea cælestis sponsus dixit. *Tota pulchra es amica mea, & macula non est in te.*

Tandem etiam potestate Regina est, quia dominatur certo modo in cælo, & in terra, ac si dimidium Regni à vero cælesti Rege Assuero impetrasset. Christus enim, cui data est omnis potestas in cælo, & in terra, gubernat regnum suum iustitia & misericordia; & videtur

REGINA SS. OMNIVM. 155

videtur quidem dimidium Regni sui concessisse Matri, vt Regina Misericordiæ sit, sicut Ecclesia illam salutat. hinc tam clemens & tam pia, hinc tot auxilia, & tot pietatis signa erga peccatores, vt merito dicatur auxilium Christianorum, & refugium peccatorum, quia ita Deo placuit, inquit S. Bernhardus, *nihil nisi per hanc dare.* Quod ex libro de excellentia B. Virginis cap. 6. qui B. Anselmo adscribitur, haussisse videtur, qui ita affirmat: *Multa petuntur à Deo, quæ non impetrantur; petuntur autem à Maria, & impetrantur. non quod Maria Deo potentior sit, sed quia ita eam Deus honorare vult, vt homines intelligant omnia se posse per Mariam impetrare.*

REGINA ANGELO-

R. V. M.

PEculiariter autem Regina Angelorum hic dicitur, & ab Ecclesia ita salutatur, *Aue Regina cælorum, Aue Domi-*

Domina Angelorum , quia per ipsam
 ruinae Angelorum instauratae, per ipsam
 Angelorum Dominus, Orbi natus est.
 Quod Ecclesia alicubi canit, *Egredimini
 filiae Syon, & Videte Reginam vestram, quam
 laudant astra matutina, cuius pulchritudi-
 nem Sol & Luna mirantur, & iubilant om-
 nes filij Dei &c.* Id plerique Doctores, pio
 quodam sensu, de Angelis Dei intelli-
 gunt.

Certe grauiissimi Auctores dicunt,
 Angelis dum adhuc Viatores essent, re-
 uelatum esse Dei filium incarnandum,
 eisque adorandum propositum, hanc-
 que causam esse damnationis lapsorum,
 quod Christum, Deum & hominem,
 pro Deo suo agnoscere, atque adorare
 detrectarint. Qui autem adorauerunt,
 & adorare consenserunt, in gratia &
 gloria confirmati sunt, hi consequenter
 etiam Matrem filij Dei incarnati singu-
 lari cultu honorare se promptos osten-
 derunt.

S. Antoninus ita ratiocinatur:

a An-

a Angeli recipiunt illuminationem, perfectionem, & beatificationem à IESU per quem omnia restaurantur in cœlo & in terra: Ergo B. Virgo, cum sit Mater IESU, causa etiam est aliquo modo gloriæ Angelorum, vt apte dicatur Mater eorum. Hinc S. Bernardus : *b* *Honorate*, inquit, *SS. Angeli, vestri Regis Matrem, qui nostre adoratis Virginis prolem, ipsum vtique nostrum pariter, ac vestrum Regem, nostri generis reparatorem, vestre Ciuitatis instauratorem.*

Et S. Bernhardinus, *c* merito, inquit, habent de Maria omnes cœlestes spiritus confiteri, & dicere illud 4. Reg. 10. *Serui tui sumus, quæcunque iusseris, faciemus.* Et vero quid mirum est iam in cœlis Mariam super omnes choros exaltatam ab Angelis honorari, cui feruierunt (vt alia tempora taceam) cum adhuc in Templo puella habitaret. Vide supra, Ianua Cœli.

H Vel

a 4. p. tit. 15. c. 14. §. 3. *b* Hom. 1. super Mis-
sus. c. Tom. 3. Serm. 3. art. 3.

Vel hoc nomine B. Virgo Angelis superior est, quod in prima sua sanctificatione maiorem, & intensiorem gratiam consecuta fuerit, quam suprema gratia sit, qua Angeli & homines consummantur. Ita S. Bernardus, *a* Petrus Damianus, & multi grauissimi Theologi. *Et si enim nondum esset mater Dei re ipsa, erat tamen iam ad hanc dignitatem destinata, & à filio Dei singulariter amabatur, & sanctificabatur, tanquam persona ad se valde pertinens, utique eius Mater futura.*

Meritum quoque Beatissima Virgo Angelos antecedit, teste S. Bernardino Senensi, *b* qui scribit B. Virginem actu illo fidei, & obedientiae quo Angelo Christi incarnationem annuntianti assensit, & assentiendo sese condigne disposuit; ac de congruo meruit, ut esset Mater Dei, plus meruisse, quam meruerunt omnes Angeli & Sancti, omnibus actibus suis.

Con-

a Serm. de Natiuit. B. Mariae.

b Tom. 2. Serm. 51. art. 1. 6. 1

Constat autem B. Virginem post primam gratiam acceptam illis sexaginta, & eo amplius annis, quibus post filium in terris superstes fuit, semper maiorem gratiam meruisse, & non raro duplicasse, Vnde aliqui grauissimi Theologi verisimile esse dicunt, B. Virginem consecutam esse plures gradus gratiæ, & charitatis, quam sint in omnibus Sanctis & Angelis, etiam collectiuè sumptis.

Denique ideo etiam iure Angelorum Regina dici potest, quia, vt canit Ecclesia, *exaltata est Sancta Dei genitrix super choros Angelorum ad cœlestia Regna*, hanc suspiciunt, & venerantur cœlestes spiritus, quia, vt inquit S. Ephrem, *a hac est sanctior Cherubim, sanctior Seraphim, & nulla comparatione, cœteris omnibus superis exercitibus gloriosior.*

Et Petrus Damianus: *b Virgo, inquit, inter animas Sanctorum, & Angelorum*

H 2

cheres

a De Laudib. B. Virg.

b De Assumpt.

choros supereminens, & eucta, merita singulorum, & omnium titulos antecedit.

Andreas Cretensis: a O Virgo, inquit, quæ excepto Deo solo, es omnibus altior. O Sancta, & Sanctis Sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure.

S. Chrysoftomus. Virginem hanc vocat incomparabiliter gloriosiore, quam Seraphim. b

S. Augustinus. c O Virgo, inquit, si cælum te vocem, altior es; Si Matrem gentium dicam, præcedis; si formam Dei appellem, digna existis; Si Dominam Angelorum vocitem, per omnia te esse probaris. Magnum est Angelo, vt minister sit Domini, sed Maria sublimius quid meruit, vt sit Mater; tantoque excellentior Angelis facta munere singulari, quanto differentius præ ministris nomen Matris accepit. Bern. in Natiuitate B. Mariæ.

Ecce quam gloriosa dicta sint de Virgine

a De dormit. B. Virg.

b In Liturgia.

c Serm. 35. de Sanctis.

Es
E
ru
R
I
fu
tu
N
g
n
V
P
ti
fu
st
ti
A
r
n

gine hac à SS. Patribus, vt merito cum Ecclesia exclamemus Regina Angelorum ora pro nobis.

REGINA PATRIARCHARVM.

ET si Patriarchæ olim fuerint Viri simplices, Deo chari, multisq; Virtutibus clari, quibus cum Deus subinde per Angelos familiariter locutus est, nihil tamen ad gratias, & merita Matris Dei illis omnia sub ymbra, & figura contigerunt, in hac autem Virgine, omnia completa, tempore gratiæ. Vidit Abraham diem Christi & cæteri SS. Patriarchæ, mysterium & fructum incarnationis, adhuc in limbo senserunt, & gauisi sunt, & Matrem Saluatoris, filiam ex eorum stirpe natam, pro Regina sua, summa cum lætitia & exultatione, lubentes agnouerunt. Abrahæ factæ sunt repromissiones, sterilis Sara à Deo benedicta, multiplicatæ gentes, omnia tamen hæc terrena sapiebant. Quid fi-

ingu-

quit,

r. O

incti-

cvo-

rem,

si cæ-

tium

n, dig-

ritem,

Ange-

limi-

e ex-

ulari,

nomen

te B.

Vir-

gine

des Abrahæ , obedientia Isaac, visio Iacob, & lucta cum Angelo, ad prærogatiuas, Virtutes, & merita, ac sanctificationem Matris Dei?

REGINA PROPHETARUM.

DOnum Prophetiæ etiam Beatissimam Virginem habuisse, tum ex Cantico Magnificat, luculenter demonstrari potest, tum ex alijs reuelationibus, quas frequenter & nobilissimo quidem modo habuit. S. Augustinus, *a Istorum quinque prophetatio*, ait, *scilicet Zachariæ, Elisabeth, Simeonis, Anna, & Ioannis Baptista, ex Euangelio nobis nota est, vbi & ipsa Virgo, Mater Domini, ante Ioannem prophetasse inuenitur.* Rupertus vocat B. Virginem Prophetissam Prophetarum; quia & Prophetas docuit, & de ipsa omnes Prophetæ propheta-

a Lib. 17. de ciuit. Dei cap. vltimo.

b Lib. 1. in Cant.

REGINA SS. OMNIVM. 163

phetarunt. Licet ergo non decuerit eius personam, populis prædicare, & futura prædicere, sicut alij Prophetæ factò, & verbo varijs prædicarunt, constat tamen eam intima arcana Dei, altiori quodam modo præuidisse, & penetrasse.

REGINA APOSTOLORVM.

S. Ignatius Martyr, qui tempore B. Virginis & Apostolorum vixit, vocat in Epistolis suis hanc Virginem nostræ Religionis Magistram; Item Apostolorum Magistram, ad quam vndique fideles consilij causa venerunt.

Et Anselmus clarè, & audacter ita scribit: *a Licet Apostoli per reuelationem Spiritus Sancti edocti fuerint in omnem veritatem; incomparabiliter tamen eminentius, ac manifestius ipsa per eum Spiritum veritatis, illius veritatis profunditatem in-*

H 4

tellige-

a De excellent. B. Virg. c. 7.

telligebat, & per hoc multa eis per hanc reuelabantur, quæ in se, non solum simplici scientia, sed ipso effectu, ipso experimento didicerat. Quod ad sanctitatem attinet, iam supra ostensum est, eam meritis, & gratia Angelis esse superiorem, ergo multò magis Apostolis, in quibus etiam post acceptum Spiritum Sanctum remansit fomes peccati, & adhuc venialiter peccare potuerunt (sicut & Ioannes Baptista & quod vtrumque de B. Virgine nec piè, nec vere dici potest. Hinc plerique Doctores, Deiparam Apostolici consilij Præsidentem, & magnum primæ Ecclesiæ solatium, ac commune perfugium fidelium fuisse asserunt.

a Suar. Tom. 2. p. 3. disp. 24.

REGINA MARTY-

R V M.

DE S. Martino canit Ecclesia: O sacratissima anima, quam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen

men martyrij non amisit. Si propterea non amisit palmam, quia paratus fuisset mori pro Christo, quanto paratior fuit Maria, quæ ipso tempore passionis dilectissimi filij stetit sub cruce, omnibus Iudæis nota Mater, quæ millies vel pro filio, vel vna mori paratissima fuit. Hinc S. Ephrem eam decus Martyrum vocat: & alij plusquam Martyrem fuisse asserunt. *a*

Lubet inferere D. Antoninum de hoc argumento ratiocinantem: *b* Dationi, inquit, anima, debetur aureola martyrij, ergo dationi pretiosissima anima, & dilectissima, debetur pretiosissima aureola Martyrij: Sed Beatissima Virgo dedit pretiosissimam, & dilectissimam animam, id est, vitam filij, ipsa enim in infinitum plus dilexit animam, id est, vitam filij, quam B. Petrus animam, id est, vitam sui ipsius: fuit etiam pretiosissima vita filij, cum pretium fuerit totius Mundi; Ergo & habet pretiosissimam aureolam martyrij. Alia Ratio. Dolor causatur ex

H 5

amo-

a Orat. de Deip. Rich. b 4. p. tit. 15. c. 24. §. 1.

amore, vt quanto quis plus amat, tanto plus
 doleat de amissione eius: Dolor autem San-
 ctorum in Martyrijs eorum, causabatur à
 natura, propter separationem animæ à cor-
 pore: Dolor autem B. Mariæ à natura, & gra-
 tia, sed maior etiam à gratia: Sed fortior,
 & perfectior est causatus à gratia, quam à
 natura; Ergo improportionabiliter maior
 fuit dolor eius in passione filij, quam Marty-
 ris cuiusquam in sua passione. huc vsque S.
 Antoninus. S. Bernhard. Serm. 7. super
 signum magnum: Sanctus ille senex, in-
 quit, ad Mariam ait, Et tuam ipsius ani-
 mam pertransibit gladius, & quidem
 posteaquam Christus emisit spiritum,
 ipsius plane non attigit animam crude-
 lis lancea, quæ ipsius aperuit latus; sed
 tuam utiq; animam pertransiuit: ipsius
 nimirum anima iam ibi non erat, sed
 tua planè inde nequibat auelli: Tuam
 ergo pertransiuit animam vis doloris, vt
 plus quam Martyrem merito prædica-
 mus, in qua nimirum corporeæ sensum
 passionis, excefferit compassionis affe-
 ctus.

ctus. An non plus quam gladius fuit fermo ille dicentis Christi ; Mulier ecce filius tuus? Quomodo nõ tuam affectuofissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra, licet saxea, licet ferrea pectora sola recordatio scindit?

Accedit testimonium Christi in reuelationibus S. Brigittæ, vbi Christus Matrem alloquitur: *a Testimonium tibi perhibeo quod tu in passione mea plus quam Martyr fuisti.* Accedit quod dolor Matris admodum diuturnus fuerit, non tantum in infantia Christi, partim quod doleret dilectissimum filium omnia humana incommoda patientis sufferre, partim quod iam præsciret, quanta esset passurus suo tempore, ex amore generis humani : Sed & toto reliquo tempore, quo post passionem filij superuixit, dolores illi renouati sunt, quando loca sancta, & cruenta vestigia toties visitauit, vt patet ex reuelationibus S. Brigittæ lib. 6. cap. 61. Ergo gloriosissimi

o plus
San-
tur à
à cor-
gra-
tior,
am à
maior
arty-
e S.
uper
, in-
ani-
dem
um,
ide-
sed
fius
sed
iam
s, vt
ica-
um
ffe-
tus.

riofissima Martyr, & Regina Martyrum, Ora pro nobis.

REGINA CONFESSORVM,
VIRGINVM, SANCTORVM
OMNIVM.

EX superioribus fundamentis patet, quomodo Beatissima Virgo excedat omnium omnino Sanctorum gratiam sanctificationem, merita, & gloriam, in terris & in caelis. Concludo ergo & exclamo cum S. Chrysoftomo; *a Quid hac Virgine sanctius? Non Prophetae, non Apostoli, non Martyres, non Patriarchae, non Angeli, non Throni, non Dominationes, non Seraphim, non Cherubim, non denique aliud quippiam inter creatas res visibiles, aut invisibiles maius, aut excellentius inueniri potest.*

Nulla, inquit B. Ephrem, b comparatione hac Virgo omnibus superis exercitibus est gloriosior; praestantissimum orbis terrae miraculum, omnium Sanctorum corona, ob fulgorem inaccessa.

PIÆ

a Serm. de Natiuit.

b Serm. de laud. B. Virg.

PLÆ CONSIDERATIO-
NES.

I.

Reginā Saba cum Salomonis Au-
lam sumptuosissimam, & optimè
interim ordinatam spectasset,
ipsumque varijs de argumentis sapien-
tissimè differentem audisset, exclamavit,
*a Beati sunt serui tui Salomon, qui stant co-
ram te semper, & audiunt sapientiam tuam.*
Quanto id æquius dici posset de seruis,
& cultoribus huius Reginæ, qui ex me-
ditatione vitæ eius, excellentiarum, ac
prærogatiuarum variam hauriunt sapi-
entiam?

2.

Gloriosum est militi, sub inuicto Re-
ge stipendium facere: Regis fortunam,
suam putat. Id huius Reginæ subditis
contingit. Læti seruiunt tantæ Regi-
næ, &c.

H 7

næ, &c.

a 3. Reg. 10.

næ, & rerum securi, perire non possunt; certi de victoria, si pugnandum sit, certi de corona. Experientia id didicere. Plena sunt volumina similibus historijs, & lætis euentibus.

3.

Regina Esther olim populum suum humillimis precibus liberavit, quem Aman inuidia liuens, ad interuiccionem iam designauerat: *a* Ita hæc Regina sollicita pro populo suo, pro salute inquam totius Mundi, gemitibus inenarrabilibus ad Deum suspirat. S. Augustinus propter tot lacrymas Monicæ matris perire non potuit, quid non solatij habere poterunt ij, pro quibus hæc Regina apud Cœlestem Regem intercedit.

4.

Huius Reginae famulos, summa decet morum honestas, & vitæ probitas. Pulchras viuendi leges habent; dignoscuntur ab aliorum dominorum mediastinis. Ergo Virginei cœtus alumni, & alij

a Esth. c. 7.

alij quicunque huius Reginae singulares cultores, omni Virtutum pulchritudine ornati sint necesse est.

5.

Et vero quid de augustissimæ huius Reginae dulcissimis liberis dicam? qui clamare audent, monstra te esse Matrem, ausu plane heroico. Qui Deum in cœlis patrem suum appellare audent, pro filio se agnosci, & haberi vult; Ergo & Matris Dei filium se profitetur. Multum autem est, vt huius Reginae filij nominemur, & simus: si filij; & hæredes.

APOSTROPHE
AD PARTHENIOS
SODALES.

IVnior Tobias laudatissimorum suorum parentum, & cognationis suæ, a omnisq; honestatis memor,

a Tob. c. 8.